



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 813. Usque Ad Annum 859

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117867

§. 28. Rabani obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66103](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66103)

Sæculum IX. in duos filios tunc apud se commorantes
A. C. 856. Lotharium & Carolum, & huic quidem
 dedit Regnum Provinciæ quod usque ad
 Territorii Lugdunensis terminos exten-
 debatur, Lothario autem Regiones reli-
 quas, quæ usque ad Rheni & Mosæ ostia
 porriguntur. Ceterum Imperator Lu-
 dovico filio suo primogenito satis virium
 & potentiæ esse credidit in Regno Lon-
 gobardorum & Imperatoris Titulo. His
 igitur ita compositis, die sexta postquam
 vestem Monasticam induisset, & ab obi-
 tu parentis sui annis quindecim imperas-
 set, vigesima octava Sept. anno Salutis
 855. e vita excessit.

§. XXVIII.

Rabani Obitus.

Ann. Fuld. **R**abanus Archiepiscopus Moguntinus
 856. anno sequente 856. quarta die Fe-
 bruarii, postquam Sedem occupasset an-
 nis octo, naturæ concessit. Præter opera
 superius memorata scripsit ultimis vitæ
 suæ temporibus epistolam Canonicam ad
Baluz. post Heribalum Episcopum Antissiodorensis,
Regin. qui eum de variis casibus pœnitentiæ
 consuluerat. (*) Quanta in Rabano
 Chari-

(*) Dicit Cave, ut superius notavimus, Ra-
 banum Doctrinæ de præsentia reali Christi in
 Eucharistia fuisse adversarium. Sed audiamus hic
 Nata-

Charitas proximi fuerit, tunc liquido pa-
 tuit, cum anno octingentesimo quinquagesimo
 dira fames Germaniam pressit; quippe Sanctus
 Episcopus in quodam Vico suæ Diœcesis commorans
 omnes pauperes, unde unde advenirent, suscipiebat
 & singulis diebus plus quam trecentos pascebat,
 præter illos qui plerumque ipso inspectante
 reficiebantur. Inter centenos alios quadam die
 venit mulier usque adeo debilitata, ut cum limen
 subiret, expiraverit, priusquam ad interiora domus
 pervenire potuisset; cumque ejus infans, quem
 ulnis complectebatur, matris jam exanimatæ
 mamillam necdum dimitteret, res miseranda
 ex oculis conspiciens

Sæculum IX.
 A. C. 856.

Ann. Fuld.

Rr 4

Natalem Alexandrum in Dissertatione XI. ad
 Sæc. IX. & X. Sane Rabanum, in Epistola ad
 Egilonem, Paschasium impugnasse constat ex
 Herigero. Quid vero in Paschasii Sententia
 impugnavit Rabanus? num Realis præsentie
 Corporis Christi in Eucharistia, & Transsubstantia-
 tionis assertionem? minime, utramque enim
 asserit lib. 7. de Sacris Ord. ad Theotmar.
 cap. 10. Quis, inquit, unquam crederet, quod
 panis in carnem potuisset converti, vel vinum in
 sanguinem, nisi ipse Salvator diceret, qui pa-
 nem & vinum creavit, & omnia ex nihilo fecit?
 facilius est aliquid ex alio facere, quam omnia
 ex nihilo creare. &c. Ibidem Rabanus Maurus
 a fædo Stercoranistarum errore vindicatur, &
 hæc labes ab ipso abstergitur.

Sæculum IX.
A. C. 856.

spicientium lacrymas expressit. Vir quidam iter faciens cum uxore & infante, rabida fame in furorem actus propriam prolem ex brachiis matris raptam sua viscera devoraturus confodere parabat, recedente matre, ne spectaculum infandum aspicere cogeretur. Jamque pater ferrum infantis gutturi admovebat: cum puer a longe vidit duos lupos cervam dilaniantes. Illo itaque velocissime convolat pater & abactis lupis ad uxorem redit cervinam carnem afferens: quæ virum conspiciens maculatum sanguine pæne mortua concidit. At vir, ostendens filium salvum, abeuntem uxoris spiritum revocavit. *Itaque, ait illius temporis Annalium Scriptor, eos extrema necessitas carnem a lege vetitam comedere compulit.* Unde videmus, illo adhuc ævo credidisse Christianos se Lege Moysis teneri, & comedere carnes animalium a bestiis occisorum sibi esse prohibitum. Rabanus in Sede Moguntina Successorem habuit Carolum Pipini Regis Aquitaniæ filium, cui magis Regis Ludovici patru sui voluntas, quam Clericorum populique consensus hanc Dignitatem contulit. Is cuidam Concilio ineunte mense Octobri Moguntia anno sequente 857. celebrato præfuit.

*Exod. 22,
31. 31, 8.*

Ann. Fuld.